



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 8. S. Spiritus inflammat, dat Dei amorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Voluit hoc visibili signo ostendere, quod prædictum in Scriptura, & à Christo promissum. Nam de Doctoribus Canonis dicitur Pl. 44. 2. *lingua mea calamus scribe &c.* quia eorum lingua sunt tanquam calamus, qui à Spiritu S. scribente dirigitur. Christus dixit Matth. 10. 20. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Luc. 21. 15. *ego dabo vobis os, & sapientiam.* Et Marci 16. 17. *linguis loquentur novis.* Voluit ostendere Spiritus S. virtutem promissam, scilicet doctrinam Apostolorum, eorumque verba, esse ab ipso dictante & dirigente. Sylveira hic q. 5.

Ex Patribus, & aliis.

O qualis est artifex iste Spiritus! nullâ ad discendum morâ agitur in omne, quod voluerit, mox enim, ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat: abnegat hoc repente, quod erat; exhibet repente, quod non erat. S. Gregor. hom. 30. in Evang. circa finem.

O quam velox est sermo sapientiæ; & ubi Deus Magister est, quam citò discitur, quod docetur. S. Leo f. 1. de Pent.

Spiritus S. omnia ad bonum, & ad salutem, dirigit: primum enim mansuetus illius adventus, fragrans progressus, onus levissimum; ante suum accessum radios lucis præmittens, & cognitionis. Venit illuminare mentem primum quidem ejus, qui recipit illum: deinde per ipsum & cæteros. S. Cyrillus Jerof. Catech. 16.

Quòd si fortè sedenti tibi, de castitate, & virginitate, subeat cogitatio; illius est ea doctrina. Nonne persape puella, jam ad sponsi thalamum constituta, effugit, Spiritu S. de virginitate eam docente? Nonne saepe splendidus aliquis homo aulicus contempsit divitias, probè instructus à Spiritu S.? Nonne juvenis saepe videns pulchritudinem, compressit oculos; & ne amplius videret, aufugit, pollutionemque vitavit? Quaris, unde id contingat? Spiritus S. certè sic eruditur animum adolescentis. -- Tot sunt avaritiæ cupiditates in Mundo; & tamen nihil possidere eligunt Christiani. Quâ de causâ? propter Spiritus S. annuntiationem. Id. ib.

Magnum igitur commilitonem, & auxiliatorem, apud Deum habemus; magnum Ecclesiæ Doctorem: magnum protectorem nostrum. Non metuemus ergo demones: major enim est, qui certat pro nobis; modò illi ostia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni sunt, quærens; & quibus bona confert. Id. ib.

Clavis tibi Psalmorum, omnisque Prophetiæ, est Spiritus S. S. Andreas Cæsar. f. 3. c. 8. Apoc. Proprium erat opus Patris, facere; opus Filii, redimere; proprium Spiritus S. opus illuminare, & ad similitudinem Dei hominem producere. S. Rupertus l. 1. de ob. Spiritus S. cap. 11.

Omne bonum consilium de salute hominum est à Spiritu S. S. Thom. Aqu. Opusc. 10. c. 8.

Sol est Spiritus S., illuminans corda Prophetarum: qui quandoque sub nubibus apparet, quandoque sine nubibus. Idem Prologo in Psalmos.

§. VIII.

Spiritus S. inflammat, dat Dei amorem.

Hodie, juxta Prophetæ verbum, *ignis à facie ejus exarsit*, Pl. 17. 9., *carbones, id est, Apostoli sancti, atque discipuli, succensunt ab eo.* S. Bernardinus f. in die Pent.

Comedite amici, & bibite, & inebriamini, Charissimi. Cant. 5. 1. Multi legunt ex Hebræo: *inebriamini amoribus*, id est, Spiritu S.; & omnibus affectibus, & operibus illius; ut nihil in animo vigeat, nisi amor Dei. de Ponte hic Exh. 2. §. 5.

Et Sanguinem Jerusalem laverit in Spiritu judicii. Il. 4. 4. Spiritus S. dicitur Spiritus ardoris: vel, ut Vatablus vertit, Spiritus incendii, id est, charitatis tum divinæ, tum nostræ, nobisque infusæ; quâ nos ipse accendit, carnisque vitia adurit. Cornelius hic.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Per hunc ignem intelligit Spiritus S. S. Ambrosius. Sed cur voluit Christus mittere Spiritum S. ut ignem? S. Bernardus serm. 3. de verb. Il. vult Seraphim fabricari, ut ibi staret, ubi tu corruisti: ut tabescas amplius, & livore proprio torquearis. Seraphim ab incendio nomen: ideo Spiritus S. venit, ut Seraphinos plures faciat. Sylveira Addit. in Joan. 14. Luc. 12.

Apparuerunt illis dispersita lingua. Act. 2. 3. Cœlestis Spiritus congregatis Discipulis, quos ad officium publicationis suæ Legis deputarat, dedit dispersitas linguas, tanquam ignem: hoc modò aperte ostendens, quòd prædicatio Evangelii tota esset ad corda hominum inflammanda. S. Franc. Sales. tr. de div. am. in Præf. ad Lector.

Omnium viventium anima - quasi sol omnia calefaciens subjecta, omnia nutrit. S. Cyprianus de Spiritu S.

Hic prætereundum non est, quòd de hoc magno Præsidi hujus cœli eleganter prædicare solent Physici: quòd sit fons ignis ætherii, cor cœli, sive mens, & temperatio Mundi. Rupertus l. 1. c. 41. in Gen.

Spiritus S., qui est amor Patris, & Filii, dari nobis; est, nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus S.: à qua quidem participatione efficimur amatores Dei. S. Thom. Aqu. Lect. 1. in Rom. 5.

Nullam aliam virtutem sanat Spiritus S. in corde humano sic illi connaturalem; sicut amorem, & charitatem. Cum Deus creavit animam, *ad imaginem & similitudinem suam, creavit illam*: scilicet ad imaginem charitatis; quia *Deus charitas est.* 1. Joan. 4. 16. S. Bernardinus tom. 2. l. 3.

§. IX.